

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei Memoriam.

CUM sicut dilectus Filius Cajetanus Capranica Bibliopola in hac alma Urbe nostra commorans Nobis nuper exponi fecit ipse pluries sumptibus suis Librum, cui titulus: *Il Mercurio Errante delle Grandezze antiche, e moderne di Roma di Pietro Rossini da Pesaro*: Typis mandare curaverat, de præsentis verò ad publicam utilitatem denuò in lucem prodire intendat; ve- reatur autem nè postquam in lucem prodierit, alii, qui ex alieno labore lucrum quærunt, dictum Librum in ipsius Cajetani præjudicium iterum imprimi facere curent. Nos ejusdem Cajetani indemnitati providere, ipsumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen- harum serie absolventes, & absolutum fote censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Cajetano, ut decentio proximo à primæva dicti Libri impressione computando durante, dummodò tamen ille priùs à dilecto Filio Magistro Sacri Palatii Apostolici appro- batus

batus sit , nemo tam in Urbe prædicta , quàm
in reliquo Statu Ecclesiastico mediatè , vel
immediatè Nobis subiecto dictum Librum
sine speciali prædicti Cajetani , aut ab eo cau-
sam habentium licentia imprimere , aut ab
alio , vel aliis impressum vendere , aut vena-
lem habere , seu proponere possit , Apostolica
Auctoritate tenore præsentium concedimus ,
& indulgemus . Inhibentes propterea utrius-
que Sexus Christifidelibus , præsertim Libro-
rum Impressoribus , & Bibliopolis , sub quin-
gentorum Ducatorum auri de Camera , & a-
missionis Librorum , & Typorum omnium
pro una Camera Nostræ Apostolicæ , ac pro
alia eidem Cajetano , & pro reliqua tertiis
partibus Accusatori , & Judici exequenti ir-
remissibiliter applican. , & eo ipso absque
ulla declaratione incurrendis pœnis , nè dicto
decennio durante præfatum Librum , aut ali-
quam ejus partem , sine hujusmodi licentia
imprimere , aut ab aliis impressum vendere ,
seu venalem habere , vel proponere quoquo
modo audeant , seu præsumant . Mandantes
propterea dilectis Filiis Nostris , & Apostoli-
cæ Sedis de latere Legatis , seu eorum Vice-
Legatis , aut Præfidentibus , Gubernatoribus ,
Prætoribus , & aliis Justitiæ Ministris Provin-
ciarum , Civitatum , Terrarum , & locorum
Status nostri Ecclesiastici prædicti , quatenus
eidem Cajetano , seu ab eo causam habentibus
prædictis , in præmissis efficacis defensionis
præsidio assistentes , quandocumque ab eo-
dem Cajetano requisiti fuerint , pœnas præfa-
tas contra quoscumque inobedientes irremis-
sibili-

sibiliter exequantur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibuscumque Statutis, & consuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam in ipsis Libris impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Maii M. DCC. XXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

T. Amatus Pro-Secretarius.